

ne vix quidem mentem ad credendum adducerent.

Rarum est enim & ferme inauditum, Deum Prophetis suis exigendam de populo suo ultionem revelasse, antequam populus ille criminibus implicaretur, quorum merito eam in se ultionem provocasset. Cum Isaias annunciandam Judæis captivitatem Babylonicam suscepit; cum everfionem Urbis & Templi prædiceret; cum tandem ad lætiora conversus post ultionem veniam sperandam, soluta captivitate per Liberatorem idest Cyrum à Domino excitandum, edicit, cæperat jam iniquitatis mysterium revelari; crimen, impietas, Idololatria Regum & populi Juda & Israel eò devenerant, ut insignem quandam ultionem à Domino extorquerent; implendæ malorum mensuræ nihil expectabatur reliqui. Scelera Roboami, Abiæ, Athaliæ, & Achaz Dominum in Regnum Juda animaverant. Nihil tale Davidis ætate; ipsum Salomonis lapsum & Israelis à Juda secessionem, quamvis aliqui sub ipsi Sancti Regis oculis complenda mala, ne nosse quidem prophético lumine fat clarè videtur. Minari contentus Deus ultionem suam in posteros sancti Regis, quos dicto audientes non habuisset, nihil tamen expressum voluit, quo eorum futura prævaricatio designaretur. Alienum igitur à vero censemus, Davidem Pfalmos ad captivitatem Babylonicam spectantes scripsisse, nedum eos qui ad solutæ ejus captivitatis tempora pertinent.

Sunt qui nomina Afaph, Core, Eman, Idithum &c. in inscriptionibus Psalorum, Musicos quibus canendas lucubrationes suas traderet David, designasse crediderint; nec sanè vera illos suspicari quandoque ipse quidem negaverim. Sed hæc omnibus nominibus, quæ fortè in titulis leguntur, quadrare minime concesserim. Profecò si inscriptionum nomina nunquam carminis Authorem designant, neque ipse S. Vates eorum Author habendus erit, quorum titulo adscribitur; æquè enim Davidis nomen legitur quemadmodum Afaph, & filiorum Core. Si quid Davidi præ illis haberet, illud esset, nimirum Sanctum Regem Divino Spiritu afflatum fuisse sed afflatos equè filios Core, cæterosque elogio *Videntis & Propheta* à Sacra Scriptura referentes, tum Scriptura ipsa, cum plurimum Patrum autoritas ne dubitare quidem permittunt. Quoad nomina Aggæi, Zachariæ, Ezechiels, Jeremiæ, & Moyfis, quæ in nonnullis inscriptionibus leguntur, alterius disquisitionis res est, in argumentis Psalorum tractanda. De titulis eos tantum & non sine prævio examine probamus, quos Hebraica veritas servat retinetque.

Perfuum etiam tenemus, unius tituli indicium minus esse, quam ut judicium ex illo sive de Authore sive de Carminis argumento petatur; nisi fortè respondere titulo ipsæ Textus sententiæ deprehendantur. Plures leguntur Psalmi Davidis nomine inscripti, alterius tamen ab illo Authoris; & plures vicissim alterius vel sal-

tem nullius nomen præferunt, Davidi tribuendi; ut semel admissio eo ordine chronologico, quem nos institimus, 50. tantum ab eo Principe scripti admittantur, intra illud temporis spatium quod à motu per Saulem persecutione usque ad initium à Salomone Regnum intercedit; non exclusis pariter ab eo numero omnibus ferme Psalmis morales institutiones complexis, qui nullâ temporis adscriptâ notâ vagantur. Sancto Regi omnes assignamus, quos ejus ætate, & sub ejus Regno scriptos suspicamus, quamvis non incongruè reputari poterit, Afaph, Eman, Idithum nonnullos pariter edidisse, vel ejus Regis laudibus celebrandis, vel in Epinicium relatæ ab illo de hostibus victoriæ, vel opi à Deo implorandæ.

Psalmi omnes, Afaph, Eman, aliorumque Cantorum, qui sub Davide celebrantur, nomen præferentes, illis tamen Authoribus tribuere omnes vix possumus; nisi si fortè eorum vita usque post captivitatem producatur; cum plerique sive ad tempus captivitatis, sive ad eam solutam pertineant. Compertum habemus plures fuisse in Juda Cantores nomine Afaph appellatos, cum familiare apud Judæos fuisse, quemadmodum apud nos etiam obtinet, credamus, ut ejusdem familiæ plures posteri avorum illustre aliquod nomen perpetuarent. Contigit etiam aliquando, ut nomen illud in familiæ appellationem transfret; quemadmodum de Cæsariis apud Imperatores constat. Facile etiam nomen Afaph in titulo positum designat, qui potissimum Cantorum ordo huic Psalmo canendo destinaretur; notus erat enim ordo Afaph inter Cantores; vel saltem eo titulo scriptum proditur carmen ab aliquo ex genere Afaph, qui illustre in familia sua nomen suæ lucubrationi adscripsit. Illud saltem sine controversia positum judico, plures Psalmos nomen illud præferentes, ætatis esse & ab Afaph, & inter se remotissimæ; neque etiam dubitare permittimur, à Davide usque ad novissimam Hebræorum & Templi everfionem per Romanos, ordinibus Levitarum veterum suorum Authorum nomina mansisse. Qua semel hypothese constitutâ, posteris Afaph omnes eos Psalmos tribuendos censemus, Afaph nomen præferentes, qui ad 12. recensentur. Psalmus 77. victoriam canit relatam ab Asa in Regem Israel, sive in decem Tribus. Psal. 72. alteram à Josaphat in Ammonitas & Idumæos. Excidium exercitus Assyrii sub Sennacherib celebratur in Psal. 75. Cæteri verò Psalmi ad captivitatem Babylonicam pertinent. Tandem Psalmus 80. nullum temporis indicium præferet; sed facile sive ante sive captivitatis temporis sive post eam solutam assignandus.

Legimus filijs Core Psalmos inscriptos, quos sanè ab ipsis Core liberis è paterno infortunio Divino prodigio servatis scriptos supra improbavimus. Qui ergo nomine illo designantur, Levitæ ejusdem Core posteri censendi sunt. Omnium primus eo nomine inscriptus occurrit Psalmus 44. ad nuptias Salomonis, uti quidem creditur, per-

pertinens; alii captivitatis Babylonicæ ætatem referunt; nonnulli ut Psal. 45. & 46. & 47. & 86. usque post eandem captivitatem retrahendi. Singularis eorum indoles in solandis, molliendis animis, atque lætitiæ inspirandæ, quod maximè in hisce Psalmis apparet, spectabatur.

Psalmus 89. *Deus refugium factus es nobis*, alterum à Moyse, cujus nomen in titulo præferret, Authorem flagitat; facile, uti quidem cum peritissimis Interpretibus opinamur, aliquid ex ejus posteris ordinem Levitarum tenentibus, quorum erat canendorum Domino carminum munus. Novem ordine succedentes nullo Scriptoris nomine inscripti, ad eosdem filios Moyfis facile pertinent, & captivitatis ætatem produunt. Non abs re suspicamus Psal. 95. & 96. & 97. & 98. & 99. simul omnes ad dedicationem secundi Templi sub Zorobabele referendos. Psalmus 90. inter eos rejecimus, quorum nullum apparet ætatis vestigium; sed facile cum captivitate sive post ipsam componeretur. Porro scripti à Moyfis posteris Psalmi elegantissimi & sublimes, Authorem produunt in res poeticas ingenium.

Idithum, cujus est nomen in fronte Psal. 38. & 51. & 76. clarus habetur in Libris Paralipomenon (y), & peritiæ suæ in canendo insigna exhibuit documenta sub Davide & Salomone. Ethan inter filios Merari appellatur 1. Par. 6. 44. Huic canendum dedisse Davidem scriptum à se Psalmum 31. credimus, cujus carminis argumentum versatur in valetudine à Deo implorandâ, cum gravi morbo, de quo tamen nihil in historis, laboraret. Psal. 61. ad motam Absalomi in Davidem persecutionem spectat. In fronte Psalmi 76. duo nomina Afaph & Idithum leguntur, quamvis ex syntaxis Hebrææ constructione ad Afaph potius referendum censemus. Scriptus est captivitatis Babylonicæ tempore.

Ethan Ezraita vir sapientiæ laude sub Davide & Salomone inclutus [z], & primus inter Cantores Templi tenens, apparet in fronte Psal. 78. *Miser cordias Domini in æternum* &c. quamvis aliqui ad captivitatem Babylonicam pertineat. Quare ex ejus posteris aliquid carmen adornasse, ejusque nomine inscripsisse opus est. Aggæo, Zachariæ, Ezechieli & Jeremiæ tribuuntur Psalmi nonnulli in Græco & in Vulgata, qua de re vide quid in singulis eorum Psalorum argumentis contulimus.

Duo nobis in examen revocanda supersunt: 1. An Psalorum Authores immediati, an potius studio ante parata cantarent. 2. An Psalmi nullo titulo inscripti, quorum ætatis nullum superest vestigium, ad præcedentium Psalorum Authores & tempus referantur.

Ad primum quod spectat, Eusebius, & S. Athanasius (a) imparatum Psalmos dicere sanctum Regem & immediatum cantare autamarunt. Eusebius itaque c. g. Psalmum 56. *Miserere mei Deus, miserere mei*, è vestigio scriptum à Davide credit dum in caverna Odollam latitaret; sicut & in altera caverna Engad.

Differt. Calmet. Tom. I.

di se continente alterum 147. *Vocem meam ad Dominum clamavi, vocem meam ad Dominum deprecatus sum*. Fatetur tamen, in novissimo hoc carmine pangendo nec lyram pulsare sanctum Regem, neque Psalmum ipsum cantare permissum, metu ne eo iudicio à Saule proderetur. In eadem caverna Odollam suorum armis protectus alterum Psalmum 56. cantavit, postquam ex aula Achis sese subduxisset. Tradit idem Eusebius in Psal. 53. sanctum Regem nunquam in itineribus suis lyram, charum sibi instrumentum, non detulisse, unde in pangendis canendisque Dei sui laudibus assilio sibi quaereret solatium. Et in Prefat. in Psal. tuetur, Davidem, veluti Prophetarum omnium Coryphæum, semper in Tabernaculo versari, lyram pulsantem, & carmina cum cæteris Prophetis & Cantoribus fundentem, audientemque, juxta quod singulos Divinus Spiritus animaret.

S. Athanasius in Psal. 53. narrat Davidem, cum Sauli se proditum à Civibus Ziph intelligeret, atque affulgente sibi Spiritus Sancti lumine evasurum se manus persecutoris haberet compertum, lyram pulsantem cecinisse è vestigio Psalmum: *Deus in nomine tuo salvum me fac*. Æqua Patres illi opinantur, in ea qua tenentur persuasione, Prophetas non nisi organa esse Spiritus Sancti; eosque semel divino cæstro abreptos totos se illi permisisse, ut ore suo & voce ad arbitrium uteretur.

Sed hæc ne ultro admittantur facit, 1. Psalorum Davidis plerosque savientis cujusdam mali occasione dictatos; & in ipso vestibulo Vatem terrorem suum proderet, tum malum illud veluti si oculis spectaret depingere; tandem Dei opem implorare, atque de impetrata à Deo liberatione latari. Quod nos in plurimum Psalorum Præfatione sedulo animadvertimus [b]. Scripta sunt igitur carmina in gratiarum actionem post subductam procellam, & veluti cum in tuto res essent.

2. Spiritus Prophetiæ otium quaerit & mentem ab affectuum tempestate tranquillam; vix enim cum indignatione, dolore, & timore consistit; quemadmodum exemplo Elisei Prophetæ 4. Regum 3. 15. demonstratur. Acciri enim jussit instrumentis cantorem, ut agitatum spiritum sedaret, atque in tranquillum animus illabenti Spiritui Sancto excipiendo compararetur. Quæ cum ita sint, quomodo David tot malorum turbis agitatus, veluti si in tranquillitate & quiete versaretur, potuit carmina scribere sive cantare? Nonne magis congruè opinamur, nonnisi post discussam procellam in otio & quiete carmina illa dictasse?

Tertiam aliam rationem addit D. Ferrandus ex ipsa carminum indole petitam (c). Est enim illud metri genus, studium postulans & vacuum à curis mentem.

Carmina secessum scribentis & otia quarunt. Divini Spiritus afflatus non ita semper mentibus hominum illabitur, ut studium omne & meditationem prævertat; neque

ccc enim

b Vide argum. Psal. 3. & 6. & 17. & 21. & 52.

c Prefat. in Psal. c. 12.

y 1. Par. 16. 41. 42. & 25. 1. 3. 6.

z 3. Reg. 4. 31. & 1. Par. 6.

a In Psalms.

enim destruendis hominum affectionibus atque naturalibus corporis habitudinibus, sed perficiendis, & in usum convertendis descendit. Ipse manum, ipse spiritum Vatis deducens, artem ipsius suo operi servire cogit. Quadam ex sacris Carminibus acrostico artificio concinnata sunt, quod studium flagitat & meditationem. Tandem nunquam à se impetrare valet idem Author, Davidem exulem, proscriptum, inter cavernas pererrantem, & deserto in deserta dilabentem, tantam prolyra sua curam habuisse, ut nunquam illam dimitteret; sed paratam semper haberet ad melodiam aliter planè quàm afflictæ ejus res flagitabant.

Ad alteram quæstionem quod spectat, an scilicet Psalmi nullo Authoris nomine inscripti ad præcedentium Autores refe-

rendi sint; eam sanè opinionem esse Patrum, & vetustâ Judæorum traditione teneri, quæ paria opinatur de scriptis Prophetarum nullo Authoris titulo præfixis, & de Prophetis, quorum missionis certus annus nullus legitur in Operis fronte, alibi animavertimus (d). Regulam illam sibi pariter proponendam censent doctissimi Interpretes, & nos etiam plerumque adoptamus; nisi si fortè evidens Textus veritas deserendam quandoque persuaserit. Usum e.g. cum posteris Moysis tribuere decem Psl. post Psl. 89. *Domine refugium factus es nobis*, proximè succedentes. Axioma est tamen suis exceptionibus obnoxium, nec tamen minus verum, cum ibi, sicut in cæteris, exceptio regulam firmet (e).

d Dissert. de Titulis Psl. e Vide, si placet, Comment. in Prophetas minores, in quo sæpius ab hac regula recedimus; nec unquam nisi post serium examen admittimus.

DISSERTATIO IN TEXTUM ET VETERES PSALMORUM VERSIONES.

ARTICULUS PRIMUS.

Textus Hebraicus Psalmorum.

QUÆ ad Textum & antiquas Psalmorum Versiones spectant omnia, non ita discutienda suscipimus, ut rem omnem tractemus; id enim non Dissertationem sed Volumen flagitaret. Ideam quãdam totius rei utcumque formandi consilium agimus. Lectores minùs earum rerum instructos, vocum saltem, quas in Commentario adhibemus, significationem doceamus; vocum, inquam, sæpiùs recurrentium, dum crism Textuum & variantia referimus.

Textum originale Psalmorum Hebraicum esse negaverit nemo. Ed proinde Versiones omnes referendæ, ut par de singularum merito iudicium feratur, pro variâ cum eodem Textu congruentiâ vel difformitate. Nec ideo tamen quod difformitas aliqua inter Hebræum & versiones deprehendatur, statim iudicium damnationis ferendum est, cum ex Versionum fide interdum Textus ipse fuerit corrigendus; sed in pari causa & cum nihil suspitionis in Textus integritatem creari potest, ejus semper fides Versionibus præferenda.

Nullus esset postremæ huic exceptioni locus, siquidem Textus Hebraici in nostris Bibliis integra maneret fides, quam olim, cum ab ipsis Authoribus scriberetur, præferebat. Omni tunc abjectâ morâ ad

fontem recurrendum esset, atque ex ejus puritate sinceritas Versionum restituenda. Sed cum intercidentibus jam inde Authoribus, descripta ex illis tantùm maneat Exemplaria, quæ eodem fermè ac cæteri Libri omnes fato, per manus hominum longâ temporum serie decurrentes, eam fecerunt contraxerint, quam ignorantia, præcipitatio, audacia Amanuensium induxit; ideo suspicio aliqua de corruptione Textus admittenda est, sed parè admodum nec sine cautione sententia proferenda. Quare & Versionum indicio opus est, ut corruptiones illas Textus deprehendamus corrigamusque; & vicissim Textu reformatis Versionibus juvemur, cum à vero originali sensu deviarint, sive Interpretum oscitantia, sive Amanuensium negligentia.

Inter omnes Scripturæ Libros Psalterium, obscurissimum illud, frequentissimè transcribi contigit; quæ duplex ratio, obscuritatis nempe & excriptionis in causa fuit, quare miserè præ omnibus ab Amanuensibus scædaretur & mendis scæteat in Hebræo frequentioribus, quàm reliqui Scripturæ Libri omnes. Discrepat in omnibus ferè Psalmis aliquid Hebræum inter & Septuaginta; quod scilicet ad aliam, quàm quæ hodie præfertur, legendi Textus originalis rationem, referendum esse vix dubito. Neque omnium optimam Septuaginta Versionem defendendam suscipimus; sed fateri tamen cogimur, eorum le-

ctionem & pronum magis & naturalem sensum exhibere; sicut & varias fuisse olim Hebræi lectiones apertissimo documento monstratur. Ex quo falsi arguitur Hebræorum iactantia, nunquam non integritatem suorum Librorum crepantium; simulque adversus illos critica usus probandis scernendisque optimis lectionibus defenditur.

Subjicienda sunt modò eorum omnium; quæ diximus, exempla. Luculentum dedimus in Dissertatione ad illud Psl. 12. 18. quo loco Judæi legunt: *Quasi Leo pedes meos, & manus meas*; cùm Septuaginta, Vulgata, & Veteres alii Interpretes habeant: *Foderunt pedes meos, & manus meas*. In Psl. 36. 28. acrostico artificio, sive per alphabetum digesto, litera *Hain* deest in Hebræo; legitur verò in Septuaginta & Vulgata, legentes: *Injusti punientur &c.* Simili mendo in Psl. 144. 14. acrostico deest litera *Nun*, quam servant Septuaginta & Vulgata, legentes: *Fidelis Dominus in omnibus verbis, & Sanctus in omnibus operibus suis*. In Psl. 34. 27. legit Hebræus nostræ ætatis: *Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui vult pacem servare tui*; quo loco Septuaginta & Vulgata reponunt: *Et dicant semper: Magnificetur Dominus qui vult pacem servare ejus*; quæ sententia alteri ex Psalmo 39. 17. respondet in Hebræo, Septuaginta, & Vulgata his verbis conceptæ: *Dicant semper: Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum*. Mendosa est igitur prioris Textus in Hebræo lectio.

Nec suspicione vacat illud Psl. 146. 8. *Et verbum servituti hominum*, quod in Hebræo desideratur Amanuensium oscitantia, cum in Septuaginta æquè & Vulgata legatur. Parallela duo loca in Psl. 103. 14. & 41. 7. apertum pariter mendum exhibent, quod maxime apparet, si ambo hi Textus conferantur cum versiculis posterioris ejusdem & proximè sequentis Psalmi; habent autem: *Confitebor illi salutare vultus mei*; cum in Hebræo sit: *Confitebor salutare vultus mei*; quod planè alterum sensum reddit. In Psl. 48. 13. Hebræi lectio mendosa pro *Jalin* præfert *Jabin*, ut sit sensus: *Homo in honore non perhorretur*, cum potius juxta Septuaginta, & Vulgata reddendum fuisset: *Homo cum in honore esset, non intellexit*. Contextus series in Psl. 48. 12. fert, juxta ac Septuaginta, & Vulgata legunt: *Sepulchra eorum domus illorum in perpetuum*; pro eo quod male in Hebræo est: *Interiorum sua domus sua in seculo*; quod absurdam planè sententiam reddit; non minùs ac illa ejusdem Psl. vers. 16. *Laudabunt te cum benefeceris tibi*; cujus loco rectè Septuaginta, & Vulgata: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*.

Nec minùs vitiosus est Hebræus in Psl. 41. 5. cum pro eo quod bene in Vulgata, & Septuaginta redditur: *Transbo in locum tabernaculi admirabilis*; ferat: *Transbo in numerum, incedam cum eis*. Titulus Psl. 6. habet apud nos: *Pro occultis filii*; in Hebræo verò pro morte filii; perperam unâ

voce *Almoth*, quæ sonat ibi *puellas*, in duas voces divisâ. In Psl. 12. Hebræus *Oseulamini filium*; Septuaginta *Apprehendite disciplinam: uter mendosus?* In Psl. 3. 8. *Dentes peccatorum contrivisti*, legit Hebræus: *Septuaginta, Contrivisti dentes eorum, qui inimicantur mihi frustra*; utriusque sententiæ sensus Textui congruit; sed quæ præferenda? Ex eo sanè argumentum deducitur apertissimum; Textus, quo Septuaginta utebantur, aliam fuisse lectionem à nostræ ætatis Hebræo. Nec ego tamen dissimulaverim; vetustos illos Interpretes corruptiorem aliquando Textum habuisse præ nostro; cum jam inde ab eorum ætate menda in Textum originale gliscere cœpissent. Sed purior erat tamen præ Hebræo nostræ ætatis. Apertissimum est etiam mendum in Hebræo Psl. 3. cùm lectionem Septuaginta & Vulgata: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* ita depravet, *Bebi in Capb* transmutato: *Filii hominum usquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem?* Paria observes in Psl. 78. 13. Septuaginta: *Operui in jejuniis animam meam*; & Hebræus: *Ploravi in jejuniis animam meam*.

Uter melius? Hebræusne an Septuaginta legerint illud Psl. 7. 5. ambigo; Hebræus ita: *Si reddidi amico mala, & dimisi hostes meos vacuos*; id est; tantum absuit ut proximo nocerem, ut ne hostibus quidem gravis esse sustinerim. Septuaginta: *Si reddidi retribuētibus mihi mala, decidam ab inimicis meis*, seu potius, *Decidam ab inimicis meis inanis*.

Et in eodem Psl. vers. 12. Septuaginta & Vulgata hæc lectio: *Deus Judex justus, & pateriens*; nunquid irascitur per singulos dies? Hebræi verò: *Deus Judex justus irascitur per singulos dies*. Psl. 106. 17. Hebræus: *Stulti facti sunt propter vias suas*; Vulg. *humiliati sunt*. In Psl. 11. 7. genuinam crediderim lectionem: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum*; cujus loco habet Hebræus & Septuaginta: *Eloquia Domini eloquia munda, argentum conflatum à Domino terra, purgatum septemplexiter*. In Psl. 143. 12. hanc Vulgata sententiam: *Eorum filia circumornata ut similitudo Templi*; ita exprimit Hebræus: *Nostra filia ornata quasi anguli Templi vel Palatii*. Ego verò eandem sententiam reddiderim: *Filia nostra sicut oliva, ornata ut Templi adificium*. Hæc satis; plura si quis velit, adeat Commentarium; cujus utraque pagina similia præfert exempla.

ARTICULUS II. Septuaginta Interpretum, & aliarum Græcæ Versiones.

QUÆ Septuaginta vulgari nomine præfertur Versio, omnium sinè controversiâ vetustissima, appellationem suam, debet septuaginta & duobus Hebræis sapientissimis, quos accitos ferunt 300. circiter